

Alte Drucke

**OCTAVA DISPVTATIO || AD SEPTIMVM || ET OCTAVVM
AV=||GVSTANAE CONFESSI-||ONIS ARTICVLOS, QVI ||
agunt de militanta (vt || vocant) || ECCLESIA, || Quam ...**

Fuchte, Johann von

Helmaestadii, 1600

VD16 ZV 31095

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148642

11.
OCTAVA DISPUTATIO
AD SEPTIMUM
ET OCTAVUM AR-
GUMENTANAE CONFESSI-
ONIS ARTICULOS, QUI
agunt de militante (ut
vocat)
ECCLESIA,


Quam
Εὐαγγελίου

Præside

M. JOHANNES à FUCHTE
Antuerpio

tuebitur
FRIDERICVS MEBESIVS,
Helmstadenfis.

HELMÆSTADII
Typis Iacobi Lucij. Anno
M. D. C.



CONTINVATIO.

Hactenus explicauit Augustana Confessio præcipuos ple-
rosq; salutem nostram concernentes articulos, nimirum arti-
culum, de DEO Vno & Trino, de Peccato, de Filij DEI in-
carnatione, de iustificatione hominis peccatoris coram DEO,
de ministerio Ecclesiastico, deq; Bonis renatorum operibus:
Nunc antequàm Sacramenta, quæ verbum vestitum vocat Au-
gustinus, aggrediatur, præmittit locum de Ecclesia, in qua &
ipsa administrantur, & totum salutis negotium peragitur.
Quia verò hic locus perquam copiosus est, duobus articulis
cum persequitur, quos hac vice aliquantò vberius exponemus.

Thesis I.

Verum autem paucula de rei nomine præmittamus: mutuatum
hoc esse à Grecis constat, apud quos duæ voces, eiusdem penè
significationis in usu fuerunt, ἀγορά, scilicet & ἐκκλησία:
quarum hæc certum hominum numerum conuocatum, illa
vero promiscuum conuentum denotabat.

2. Cum itaq; potius voce ἐκκλησίας quam ἀγορᾶς, uti maluerit scri-
ptura, significare eò voluit, DEVM cumprimis velle, ut omnia ὅ, ἅ, πάντα
vostri & ἡμετέρας in domo Dei fiant, ut nobis Apostolus gentium 1. Cor. 14.
v. vlt. precipit.

3. Vsurpari autem primum hæc vox circa Noui fæderis tempus capit,
in veteri Synagoga nomen, quod idem significabat, & aliquoties adhuc
in Novo Testamento repetitum fuit, in usu erat.

4. Quemadmodum igitur apud Demosthenem & alios scriptores,
verbum ἐκκλησίαν, unde deducitur ἐκκλησία, ciues domo euocare, ut ad
certum, determinatumq; locum conuenirent, significabat: ita translata
certum cætum à DEO ministerio Apostolorum, eorumq; successorum, ad
audiendum amplexandumq; Euangelium conuocatum, ut ciues cælestes,
regniq; Dei hæredes fiant, in scriptura denotat.

5. Antequàm autem definitionem Ecclesiæ constituamus, attributa

eius, quæ præmittit Augustana Confessio, prius ordine videbimus.

6. Ea autem hisce verbis exprimuntur; ESSE scilicet ALIQUAM ET QUIDEM VNAM SANCTAM PERPETVAM MANSVRAM ECCLESIAM.

7. Vocabulum ESSE, quæstioni An sit? respondet, de qua apud eos qui verbum Dei amplectuntur, haud opus est vt verba faciamus, abunde satis hoc Sacra litera comprobant.

8. VNAM quoq; esse ECCLESIAM longa probatione non indiget: Constat enim, vnum esse eius Caput, nimirum Christum Mediatorem, vnâ fidem, vnum Baptisma, Vnumq; Deum & patrem omnium, qui super omnes & super omnia, & in omnibus nobis, attestante D. Paulo, Ephes. 4. v. 4. quod dictum quoq; hoc articulo Augustana confessio citat.

9. Idem scribit ille ipse Apostolus, 1. Tim. 2. v. 5. Vnus, inquit ibidem, DEVS, Vnus & Mediator Dei & hominum, Homo IESVS CHRISTVS qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.

10. Quamuis autem VNAM vniuersalem esse Ecclesiam concedamus, nihilominus particulares esse Ecclesias, imò domesticas quoq; patet ex 16. Rom. v. 4. & ex Epistola ad Philemonem v. 2.

11. Nec obstat quod Ecclesie nomen non vno solummodo modo, sed diuersimodè, interdum generalius seu latè, interdum verò specialius seu strictius in scriptura vsurpetur.

12. Generaliter quando sumitur, visibilem cœtum verbum Dei audientium & sacramentis vtentium, non obstante quod in eo multi sint hypocritæ, denotat.

13. Specialiter verò accipitur, cum vna saltem genuinag; eius membra arguit, quia verò hominum oculis ista cerni nequeant, eorum respectu, inuisibilis dicitur Ecclesia.

14. Esse autem duplicia Ecclesia membra, quorum quedam vna genuinag;, quedam verò mortua seu putrida appellantur, euidentissime S. Scriptura testatur.

15. Sed hic monendum venit, quod vocabulū MEMBRVM quando

do

do mortuis Ecclesie membris attribuitur, Homonymè magis quam Synonymè, aut certè πῶς ἐν τῷ αὐτῷ εἶδος, si propriè loqui velimus, predicetur.

16. Non omnes, inquit Christus ipse Matth. 7. v. 21. qui dicit mihi DOMINE DOMINE, intrabit in regnum Dei, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelo est, ipse intrabit in regnum caelorum &c.

17. Quibus verbis significare voluit Seruator, duplex esse hominum genus in Ecclesia, quorum alterum ~~est~~ ^{est} ~~est~~ ^{est} sunt Christiani, de quibus similiter Christus loquitur, Matth. 15. v. 8. Esaiam prophetam allegans. Hic populus inquit labijs me honorat, cor autem eorum longè à me est. Alterum verò, quod non ore saltem Deum confitetur, sed voluntatem quoque eius explet.

18. Illud ipsum quoque Christus parabola de semine Luc. 8. v. 16. testatum facit, qua quartam saltem Ecclesie partem, nimirum quæ in corde bono & optimo verbum Dei audiat, retineat, ac fructum afferat in patientia, ut ibidem textus verba sonant, saluaturn iri confirmat.

19. Hec hominum diuersitas tritam istam in scholis nostris distincti-
onem, qua Ecclesia diuerso respectu visibilis & inuisibilis dicitur, comprobatur.

20. Nam visibilem Ecclesiam esse, cum primis ex 4. cap. v. 1. & 2. Prophetæ Michea palam est. Vbi assimilatur ea monti sublimi & excelso: quo & alludere videtur Christus ipse Matth. 5. v. 14. cum ait: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

21. Docere & hoc quoque voluit Redemptor noster parabolis suis de sagena, Matth. 13. v. 47. De nuptijs quas fecit Rex filio suo, Matth. 22. v. 2. De decem virginibus Matth. 25. v. 1. & ouili, Iohan. 10. v. 1.

22. Taceo quod Paulus de seipso fateatur, se Ecclesiam persecutum esse 1. Cor. 15. v. 10. Item quod salutasse dicatur Ecclesiam Act. 18. v. 22. quæ certè fieri non potuissent, nisi visibilis Ecclesia foret.

23. Quod verò & inuisibilem Ecclesiam esse statuatur scriptura, testimoni-
orum euidentia conuicti, omnino negare non audent Pontificij.

24. Expressus namque locus extat apud Apostolum Paulum, qui Rom. 2. v. 28. palam docet, non eum qui in manifesto, Iudæum esse: neque quæ in

manifesto in carne, esse circumcisionem: sed qui in abscondito, esse Iudaeum.

25. Adhuc constat quod Spiritus Sanctus licet externis medijs utatur, non tamen externè sed internè, & quidem arcano, nobisq; incognito modo, opus regenerationis & quidem in paucissimis solummodo opere-
tur, quinam verò isti sint, nemo mortalium ceriò scire potest.

26. Et quanquam ut supra à nobis dictum est, Ovis, quod non potest non esse visibile, eam comparat Christus: tamen eodem in loco subi-
cit ipse: SE agnoscere suas oves, atq; ab ijs cognosci, easq; vocem suam audire, seq; comitari, & dare eis vitam aeternam, neq; perituras eas in
aeternum, nec quenquam de manu sua patrisq; sui eas rapturum.

27. Hæc sanè evidentissimè Inuisibilem posse dici Ecclesiam demon-
strant. Quis enim qui scripturam vel per transfennam aspexerit, innume-
rabilia visibilis Ecclesiae, quæ dicuntur membra aeternum peritura igno-
rat? nonnè ex parabola Christi suprâ adducta de quadruplici semine,
quartam saltem & quidem minimam partem Ecclesia saluatum iri,
manifestum est.

28. Secundo, cum Symbolo Apostolico S A N C T A M vocat Augus-
tina Confessio Ecclesiam, qua voce licet tantummodo viva Ecclesiae mem-
bra intelligi dicat eius Apologia, cum ait: Descriptionem Ecclesiae de
viviis membris loqui. Item, impij non sunt Sancta Ecclesia; tamen obti-
nuit usus apud probatos Ecclesiasticos scriptores, nec scriptura hoc im-
probare videtur, ut latius accepto vocabulo Sancti omnes vocati, sub
quibus etiam mortua Ecclesiae membra comprehenduntur, appellentur,
propterea quod nos homines, quinam verè proprièq; sancti sint, fugiat.

29. Etsi enim ex effectis de causa interdum haud malè iudicetur, scri-
pturaq; nos sapius ad fructus attendere iubeat, si de arbore iudicium fer-
re velimus; non tamen eius argumentationis immota est consequentia.

30. Notandum etiam hoc loco & illud est, quod ne quidem viva ge-
nuinaq; Ecclesiae membra absolute sancta dici queant. Sancto namq;
consilio, cuius nos veram rationem ignoramus, permittit Deus, ut, do-
nec in hac terrena vita degimus, peccatorum mole premamur, & multis
miserijs ac arumnis infestemur.

Testis

31. Testis huius rei præter innumera alia scriptura testimonia est regius Propheta David, qui psal. 32. v. 6. ait: Pro hoc (de peccatorum remissione loquitur) orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

32. Hoc ipsum quoque innuere voluit Christus, quando nos omnes nemine excepto in Oratione Dominica, ita orare iubet: Remitte nobis debita nostra.

33. Ideo verò sancta dicitur & appellatur Ecclesia militans, quod membra eius per Baptismum à peccatis, non ut ea non sint, sed ut non imputentur, ut Augustinus loquitur, abluantur, regenerentur ac renouentur. Item quod sanguine Christi indies adhuc mudentur & sanctificentur.

34. Tercio loco subiungit Augustana Confessio, quod Ecclesia PERPETVO SIT MANSURA. Quibus verbis hoc significare vult, quod nullum tempus fuerit, nullumque futurum sit, in quo non aliqua in terris futura sit Ecclesia.

35. Nititur hac sententia promissione Christi, quæ extat Matth. ult. v. ult. Ecce, inquit, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

36. Obseruandum tamen & hic est, non vnā eandemque, semper & ubique esse Ecclesiæ faciem, sed eam sæpenumerò multis modis variari & mutari.

37. Quemadmodum enim Luna cui veteres Ecclesiam assimilabant, modo crescit, modo decrescit: ita & Ecclesia suos habet obitus & ortus frequentes.

38. Et veluti Luna ex se, & sua natura corpus est obscurum opacumque, ac lumen suum à Sole mutuari cogitur, ad quem quo propius accedit, eò maius lumen habet, quo verò longius ab eo recedit, eò minus lucis obtinet: Sic etiam Ecclesia Christi in hisce terris omnem suum splendorem à Christo, quem Propheta Malachias capite 4. v. 2. Solem iustitiæ, & Zacharias in suo cantico Orientem ex alto appellat, nanciscitur, & quo propius ei coniungitur, eò splendidior est, quo verò longius ab eo recedit, eò minus lucet.

39. Non secus quoque atque interdum, quanquam rariùs euenire solet,

ut tanta terra moles inter Solem & Lunam intercedat, indeq; hac penè
totalem patiarur Eclipsin, euanuisseq; videatur; Ita quoq; tam longè à
Capite suo Christo, interdum recedit, ut propemodum interiisse putetur.

40. Sed hoc tempore Noui Testamenti contingere posse negant Ad-
uersarij, quippe cum Veteris Testamenti vaticinia de gloria ac splendore
Ecclesiæ, quem sub aduentum Christi habitura sit, nusquam non extent.

41. Scire autem debent isti, quod aequè de fuga exilijsq; priorum atq;
de splendore Ecclesiæ Noui fœderis apud prophetas prædictiones habeantur
quàm plurimæ.

42. Imò etiam ipse Christus eadem suis discipulis aliquoties reperi-
& inculcauit, & euentus ea verissima fuisse comprobauit.

43. Hæc attributa Ecclesiæ habet Augustana Confessio, Symbolum
verò Apostolicum addit vocem CATHOLICAM, qua miris modis
se efferunt Pontificij, eamq; potissimum Ecclesiæ notam statuunt, & hoc
concesso, Romanam veram & solam Ecclesiam esse, cuius posse autu-
mant.

44. Existimant autem propriè dici Catholicum, quod ubiq; semper
& ab omnibus maximè creditur, quod si verum esset, tum Atheismus
seu Epicureismus, qui omnium latissimè per omnes mundi plagas est dif-
fusus, Catholicus dicendus foret, & sic etiã Romana Ecclesiæ, à qua totus
oriens iam permulta secula dissensit, minimè gentiũ Catholicæ dici posset.

45. Nos verò edocti sumus à Christo ipso Saluatore nostro, quod Ec-
clesia sit grex pusillus Luc. 12. v. 32. Item quod angusta porta & arcta
via sit, quæ ducat ad vitam, quodq; eam pauci inueniant, Matth. 7. v. 14.

46. Neq; etiam ideo Ecclesiæ dicitur Catholica, quod certa sit astri-
cta familiæ perpetuamq; habeat ordinariam successionem. Hanc enim
haud esse necessariam, edocuit nos populus Iudaicus, qui quantumvis solus
ante natum Christum verbi Dei custos esset, eo tamen iam per multa
secula destitutus fuit.

47. Imò verò ideo potissimum Apostolorum temporibus Catholica di-
cta fuit Ecclesiæ, quod tum non amplius ad Iudaicum populum esset alli-
gata, sed omnibus in vniuersum gentibus Euangelium annunciari de-
beret,

beret, sicuti hoc ipsum Petrus Apostolus Act. 10. v. 34. verbis valde emphaticis confirmat: In veritate inquit comperi, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & operatur iusticiam acceptus est illi.

48. Tempore autem factionis Arriane, dicti fuerunt Catholici qui universam doctrinam Christi, omnesq; fidei articulos per omnia amplecterentur.

49. Iam verò nos διδακταλίας καὶ πίστεως ἕνεκα potissimum Ecclesiam vocamus Catholicam, propterea quod à doctrina Christi, inq; ipsum fide nullatenus abscedat.

50. Attributis Ecclesie enumeratis, definitionem vel potius descriptionem eius subiicit, quæ ita sonat: ECCLESIA EST CONGREGATIO SANCTORUM IN QUA EVANGELIUM RECTE DOCETUR ET RECTE ADMINISTRANTUR SACRAMENTA.

51. Descriptione hac duæ præcipuæ Ecclesie notæ continentur, quarum una pura Evangelij prædicatio, altera legitima Sacramentorum administratio est.

52. Circa has notas quæstio hæc: Num scilicet Ecclesia possit errare? potissimum moveri & agitari solet. Quia verò huius enodatio non parum lucis affert, ad notas Ecclesie rectè cognoscendas, paucis nostram de ea sententiam proferemus.

53. Sed antequam hoc faciamus, distinguendum nobis est inter errores, qui sunt duum generum.

54. Unum genus erroris est, quod fidei fundamentum non tollit, sed hoc saluum integrumq; relinquit: alterum verò, quod illud ipsum vel oblique saltè inuadit, vel directè, & sic planè fundamentum fidei vel salutis eruit.

55. Primum genus errorum adeò familiare est omnibus & singulis Ecclesie membris, ut vix momento ab eo ruti immunesq; sint.

56. Quæmadmodum enim, ut etiam antea à nobis dictum est, nullum omnino Ecclesie membrum in vita inculpatum dari potest, (quippe cum voluntas humana etiam in renatis perpetuo ad malum prona pro-

cl'iusq; sit, hoc enim ipse Apostolus iam renatus & singulari ratione à Deo conuersus sibi adiacere conqueritur ad Rom. 7. v. 21.) ita etiam caligo mentis nulli hominum à Spiritu Sancto ita discussa est, ut omnis omnino erroris sit expers, Deumq; perfectè cognoscat, ac res diuinas exactè intelligat. Id quod idem Apostolus 1. Cor. 13. v. 9. & 10. ubi nos & n' p'p'es cognoscere & d' eorūq; cōt'rauat. videre, v. 12. palam docet.

57. Alterum genus errorum quod attinet negare isidem non possumus, quod sapè numero Ecclesia errorem obliquè salutis fundamentum innuadentem foveat & tueatur. Imò quoq; particulares & domesticas Ecclesias singulaq; earum membra errore directè fundamentum impugnantem, laborare posse, experientiā conuicti concedere cogimur.

58. Testis huius rei est Ecclesia Græca quæ iam Mahometum pro Deo verò Christoq; colit. Testis item populus Iudaicus, qui iam tot seculis ab Ecclesia vera exulauit.

59. Statuimus itaq; quamuis aduocari sit, ut tota vniuersalis, per totum orbem dispersa Ecclesia, omniaq; eius membra, simul & semel, uno & eodem tempore directè in fundamento fidei erret. Posse tamen euenire particularibus (ut hactenus dictum est) Ecclesijs ut vel obliquè circa fundamentum errent, vel in errorem directè fundamentum fidei impugnantem incidant, & sic nomen cum re amittant, hoc est à Deo ac Christo, qui solus Ecclesia vera caput est, deficiant.

60. His ita premisus persacile erit quid de veris Ecclesia notis statuendum sit, cognoscere.

61. Prima est pura Euangelij prædicatio, hanc autem adeò puram non esse necesse posse, ut nihil impuritatis habeat admixtum, ex prædictis satis est perspicuum.

62. Altera Ecclesia nota est legitima Sacramentorum à Christo institutorum administratio. Neq; hanc notam adeò exactè sinceram semper esse, ex eodem fundamento patet. Sufficit itaq;, cum aliter fieri nequeat, ut substantialia Sacramentorum maneant integra, quibus sublati, illa ipsa tolli necessum erit.

63. Solent nonnulli & tertiam addere Ecclesia notam, disciplinam scilicet

scilicet Ecclesiasticam, sed quia ista in omni loco & tempore ita observari nequit, neq. adeo atq. superiores duæ necessaria est, is ἀναγκαστικὴ ne-
mini obrudendum statuimus.

64. Sic etiam multo minus necessum est, ut ubiuis locorum, unius-
modi sint traditiones seu ritus & ceremonia, præsertim si ab hominibus
instituta fuerint, ut rectè docet hoc eodem Articulo Augustana confessio.

65. Atq. hæc de septimo Augustanæ confessionis articulo aliquantò
uberius dicta sunt: Sequitur octauus, quem una atq. altera thesi absol-
uimus.

66. Tradit hic articulus tria potissimum, 1. non omnes esse verè san-
ctos in Ecclesia, 2. non tamen malorum ministerium penitus vituperan-
dum, sed potius ratum habendum statuit. Tertio loco Donatistas & ho-
rum similes, qui hoc ipsum docuerunt seuerè damnat.

67. De primo in superioribus à nobis actum est. Secundum quod at-
tinet, adeo hoc manifestum est, ut nemo sana mentis de eo dubitet.

68. Certè enim si quis efficaciam verbi diuini à dignitate vel indi-
gnitate ministri dependere statuatur, nihil aliud agit, quàm ut id quod
Dei est, homini, id quod summum crimen est, attribuat.

69. Præterea hac sua impia & blasphema opinione, homines, quan-
tum in ipsis est, ad desperationem adigunt, quis enim cum solus Deus sit
καὶ ὁ ὁρῶν τὴν Αἰτ. 1. v. 24. de ministerio verbi, num fidelis sit nec ne, cer-
tus esse poterit.

70. Et sic omnibus, quotquot baptizati sumus, num verè baptizati
simus nec ne, dubitandum erit, quæ absurda opinio, si obtinere deberet,
quàm plurimos, in desperationis barathrum conijceret.

71. Sed missis Donatistarum malè feriatarum nenys, & insulsis
nugis Baptismum non hominis, sed Christi esse, cogitemus.

72. Audiamus potius Augustinum, qui libro 3. de Baptismo contra
illos hosce cap. 10. eleganti similitudine hanc rem illustrat. Quemadmodum,
inquit, Sol cum per cœnosa loca diffundit radios, nihil contrahit sordi-
um: sic præstantia ministerij Sacramentorum impietate hominum non
sordidatur.

Non

73. Non minus elegans est elegantis patris Nazianzeni similitudo: Sicut, inquit ille, eadem apparet in cera figura, siue aureo siue ferreo annulo facta sit: sic Sacramenta ministrorum vel pietate, vel impietate non mutantur.

Quæritur.

An verum sit, ἀγαπᾶται, commodiorem esse Spiritus Sancti discipulum, quàm hominem literatum?

Responsio. Perquàm absona & homini Christiano perniciosissima hæc est opinio.

Quamuis enim Petrus & Iohannes, Act. 4. v. 13. ἀγαπᾶται ἰδιώται dicantur, & nihilominus, tanto cum applausu predicarint, id ipsum tamen, non tam ipsorum in literis ruditati, quàm Christo, à quo in quartum vsq. annum instituti erant, & Spiritui Sancto, quo cum visibili modo in festo Pentecostes sub specie columbæ apparente donati, & linguarum cognitione dotati fuerunt, abscribendum esse, nemo nisi emoti mentis homo, huc vsq. negare fuit ausus. Hoc autem in exemplū trahere, cum ratione insanire est. Neq. enim denuo visibiliter nisi in nouissimo die, ad nos redibit Christus, licet inuisibili modo Ecclesiæ suæ perpetuo præsto sit, nec amplius cuiquam visibiliter dabitur Spiritus S. vii datum fuit Apostolis. Eiusmodi media singularia iam penitus cessarunt. Viatur ergo adhuc reliquis medijs, quæ & ipsa à Deo sunt profecta, hoc est, demus operam bonis literis, & necessaria adminicula ad intellectum sacrarum literarum conducentia nobis comparemus, quæ qui negligit aut contemnit, eum non hominis sed Asini personam gerere certum est.

Sed, inquit, hic plus negocij faciesit Spiritui Sancto, quam ἀγαπᾶται? Profectò verum est quod vulgo in scholis dicitur; Dato vno inconuenienti sequuntur infinita, neq. enim solummodo hic λόγος ἀλόγος est, sed etiam Spiritum Sanctum, omnipotentia sua spoliatur. Quomodo enim iste dici posset omnipotens, qui non omnia quacumq. vellet pari facilitate effecta reddere posset, certè tam facile potest Deus ex lapidibus facere filios Abrahæ, quàm ex filijs iræ filios gratiæ.

FINIS.